

serantque? cujus pulsi fugatique, non aliud magis habebatur indicium, quam si triumpharetur. Ergo sustulerant animos, et jugum excusserant: nec jam nobiscum de sua libertate, sed de nostra servitute, certabant: ac ne inducias quidem, nisi aequis conditionibus inibant, legesque ut acciperent, dabant.

XII. At nunc rediit omnibus terror et metus, et votum imperata faciendi. Vident enim Romanum ducem unum ex illis veteribus et priscis, quibus imperatorium nomen addebant contecti caedibus campi, et infecta victoriis maria. Accipimus obsides ergo, non emimus: nec ingentibus damnis immensisque muneribus paciscimur, ut vicerimus: rogant, supplicant; largimur, negamus, utrumque ex imperii majestate. Agunt gratias, qui impetraverunt; non audent queri, quibus negatum est. An audeant, qui sciant, te adsedisse forocissimis populis eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis, quum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat: quum ferae gentes non telis magis, quam suo coelo, suo sidere armantur? Sed ubi in proximo tu, non secus ac si mutatae temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur; nostra agmina percursare ripas, et aliena occasione, si permitteres, uti, ultroque hiemem suam barbaris inferre gaudebant.

XIII. Haec tibi apud hostes veneratio. Quid apud milites; quam admirationem, quemadmodum comparasti, quum tecum in ediam, tecum ferrent sitim? quum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium pulverem sudoremque misceres? nihil a ceteris, nisi robore ac praestantia, differens, quum libero Marte, nunc cominus tela librares, nunc vibrata susciperes. Alacer virtute militum, et laetus, quoties aut cassidi tuae, aut clypeo graviter ictus incideret? Laudabas quippe ipse ferientes, hortabarisque, ut auderent: et audebant jam, quum spectator moderatorque ineuntium certamina virorum, arma componeres, tela tentares, ac si quod durius accipienti vi-